Frid. Zamell

DEORUM HEROUMQVE
Luſus.

Elbingæ anno M. DC. XLVI.
Typis BODENHAUSINIS.

SERENISSIMÆ POLONIÆ SVECIÆq; REGINÆ, LVDOVICÆ MARIÆ GONZAGÆ, Principi Mantuæ & Montis ferrati, Duci Niversii, Dominæ suæ Clementissimæ.

Vicisti hiemes terrâ mariq;, Serenissima Regina, atq; eas quidem asperrimas. Pertulisti verò ejus amore, cujus ægritudine in Borussiæ limite auditâ omissis aliis recta itinera ad Regios penates definiveras. Etsi autem nostri Te oculi primò reqvirerent, ac deinde in unam Te veluti in proximo constitutam dirigeretur omnium acies; tamen & Tecum dolebant fideles subditorum animi, qvotquot in caro Tibi capite publicam salutem depositam noverant. Mutabas hoc consilium, qvòd & lætiores subinde afferrentur nuncii, & discussa esset non parùm illa ex mœrore nubecula. Proinde Elbingæ multis Tibi nominibus commendatæ Vrbis inprimis visendæ animum induxisti. Sanè desideratissima accessura eras: at cùm prioris Tui consilii rationes neminem latuissent, imparata apud nos offendebas omnia, qvæ tanto splendori excipiendo essent, nisi in celeritate præsidium fuisset eorum, qui sua qvisq; peragerent. Adeo autem, postquam successisses, Tibi sagacissimæ Heroinæ placuit cùm omnium promtitudo, tum præcipuè in rebus gerendis obeuntium dexteritas; ut & ci-

ves Magiſtratûs providentiâ, & hunc civium benivolentiâ fretum, virtutis ergò beatos diceres. Aliis ad alia abeuntibus, ſolus ego ad otia, mihi à publicæ privatęq; rei negotiis ſolita, dimiſſus eram: at qvalia? Nullo non ingenuo digna, Regibus etiam aſſerta ac culta cum cultoribus. Et ab eis igitur exegerat, quo Tu vicisſim coli poſſes, tot ſeculorum more perſvaſa pietas. Atq; fortaſsis de re mei muneris proximè aut æquè ac aliorum conſortes abſolveram: ſed preſsi fiduciam, quam cauſſa adjuverat: ne qvod à legentiū fronte expectandum erat, irritatis ambitiosâ præſumtione animis judicium everterem. Etenim licèt illud mihi obverſaretur: non tam ſuâ ſibi induſtriâ niti Poëtarum ingenia, qvàm cœli clementiâ temporumq; felicitate invitari in ea, quæ Heroibus probent; tamen fore proſpiciebam, ut Tu prudentisſima Virago id temporis anguſtiæ facilè dares, qvod alii iſta curantis tribuerent inertiæ. At longè benigniore fato evenit, ut cùm partim Reverendisſimus atq; Illuſtrisſimus Arauſionis Epiſcopus, partim loqventia fora Tibi Luſûs meos ingenii exhibuiſſent, Tu iis delectata gratiæ Tuæ radiis perſtringeres eum, qui luſerat. Petendi qvoq; à Te, quæ legitimis in votis eſſent, per Eumdem humanisſimum juxtà ac diſertisſimū Antiſtitem apertisſimo voluntatis Tuæ indicio poteſtatem feciſti. Ac cùm inopinato gaudio non

per-

perfuſus, ſed obrutus, rem expediiſſem: id operam dediſſe, ut cùm meritis ſacris operatæ perlitaſſent cognatæ manûs ad aram mitiſsimæ Mentis, Epodos ego hoſce accinerem ejusdem Patriæ cauſsâ: faveres huic, magnum ipſi Numen meoq; generi; ſummâ ille comitate perſtitit. Hærentem enim incertumq; animi admonuit etiam Te jubente, hac ad Regiæ Clementiæ thronum datâ viâ ultro ad Te ſcriberem; ſuiq;, tum eorum, quæ per ipſum obtuliſſes, nec fallentem memoriam renovarem, iſtâ munificentiæ Tuæ in me exercendæ indubiâ uſurus teſſerâ. Scribo itaq; & quæ paucis ab abitu Tuo diebus ſubinde condidi, ſacratiſsimo Tuo nomini inſcribo. Qvod ad votum, colliculos, fruticeta, rivulos paſsim crepant mea Poëmata. Amant hæc loca Camœnæ: amat qvoq; Camœnarum ſoboles. Qvippe qvam inter frondoſum nemus nunc canora oſcinum gutturilla ad cantûs dIs hominibusq; acceptos excitant, nunc tremulæ criſpantesq; fontium undæ, ſolis Poëtis ſalubriùs hauſtæ, in eadem animant. O dia! nihil extra poſsidentium jura in his partibus eſt, qvod vel Te annuente occupem. Adeò nec Vniverſitatis hujus Orbis conciſus qvicquã habet, quod eximas: de qvo non lis, aut metus ſit etiã à vindice poſthumo. Suas ſibi res cũprimis vendicat Patria: ingratus ſim, ac tantùm non funeſtus, ſi hinc decerpam non ultimus domi eam aſſe-

rentium

rentium. Genuit me illa: nihil ejus intra viſcera eſt, qvod prolem delibare Natura permittat: et hoc, qvo toties ipſi dixi, ſacramentum venerabundus ſuſpicio. Si tamen. Vos, qui deûm ſangvis, cùm rebus humanis noſtrisq; utilitatibus prodeſſe vultis; temeritatem noſtram redarguitis, deſideria corrigitis, tempori deniq; ac rectè conſulitis. Conſules & Tu Sereniſsima: quam titulus ut talem præſtaret, præter natalium fulgentiſsima decora Naturæ conſenſum attuliſti. Mare fluctûsq; hibernos vultu viſa es compeſcere: animum facilè compones inter vota ſua fluctuantem, ſemel immiſsâ luce Tuâ. Intertea id mihi gratulor, qvòd qv poſsim juſtè ſperare, ea apud Te jam ſepoſita habeo. Poſtremò ut non minùs Te advertat hæc deorum heroumq; Scena, qvàm prior illa ſcriptio, cui oculos dare potuiſti, antequam occupâſſem, utq; Vati ſemper ſis propitia, jam Tibi obnoxio, Tua jam auſpicia ſeqventi; & animo devotiſsimo, & hac illius interprete humilimâ manu etiam obſecro. Sic Tu qvæ Reginæ Celſiſsimæ nomen inter congratulantes tot mortalium voces cœlo quoq; arbitro Tibi nunc induis, olim in immortalium cœtu Regni firmioris Coronâ niteas, conferente eodem Numine, mihi ſemper Dea. Dabam Elbingæ poſtr. Non. Aprileis anno ult. temp. M. DC.XLVI.

Majeſt. Tuæ Subjectiſs.

Frid. Zamelius.

Ad Cicnum.

CIcne fores Dominæ ſacrum diadema gerentis,
Lechica quæ ſceptris jura tuetur, adi.
Illius ægra Tuo mulcebas pectora cantu:
Quâq; juvant Superi, prodidit ipſa viam.
Ne faciles aditûs Tibi turba miniſtra pararet,
Sub vultûs juſsit protenus ire ſuos.
Agnoſcet Regina potens faciemq; nivemq;
Quæ capiti eſt, generis quæ ſolet eſſe Tui.
Ad Dominæ noſtros veſtigia pone libellos.
Dic: Tuus iſta Tibi condita *portat olor.*

Pompa Sereniſs. Reginæ Aloiſiæ &c. Mantuæ Principis.

VEla per albentes Aloiſia marmoris undas
Fecerat: & toto viſa caterva mari eſt.
Ibant æquorei proceres Tritona ſequuti:
Proximus in bijugis Ennoſigæus equis.
Tum Phorcus, prolesq; dei monſtroſa feroxq;:
Cum meliore manu candida Doris erat.
Secum Callirhoën Philyramq; Thetinq; trahebat,
Tycheq; Eurynomen eſt comitata ſoror.
Succeſſêre viri, quos dIs pia carmina miſcent.
Delphines gratum ſuſtinuêre chorum.
Primi Dircæum genus Amphionq; Linusq;
Auratâ dicti perſonuiſſe chely.
Litoraq; & rapidi tenuêre ſilentia venti.
Tunc ſtetit Ismariæ fama ſecunda fidi.
A puppi magnum vidit Regina Maronem.
Se dominam fundi dixerat ille ſequi.
Naſo procùl Geticis reditum ſperabat ab oris:
Pro Naſone triplex ſcriptor amoris erat.

Battia-

Battiaden vidi, cui si manus ista subibat:
Carminis, ut perhibent, hunc habuêre ducem.
O ego si possem longè vestigia, dixi,
Vestra sequi, tumidis hei malè fisus aquis.
Tu quoq; Diva potens nos aversata fuisses:
Iam mergebar: opem sed tulit una manus.
Ille meos cœpit Tibi commendare libellos.
Qvid dicam? Pietas Præsule digna fuit.
Ille mihi dixit: Per nomen habebis Orangum,
Qvæ fas est tamtam sollicitare deam.
Respexi, & vidi jactatas æqvore laurûs,
Sparsaq; cum miseris texta natare fabris.
Insolitâ stupuit peregrinus navita pompâ.
Nempe vehi nunquam viderat antè parem.

De Carminibus suis.

AVdiat hæc livor: Iove nostra leguntur ab ipso:
Sumserat à Veneris candida Iuno manu.
Alite Lechéo cœli superavimus arces.
Iam puto res liqvida est, hic mihi vector erat.
Et qvæ non potuit de nobis fingere? dixit.
Dixit, & arrisit maximus ille deûm.
Esse nefas habuit, mensæ non parte locari,
Qvâ capiunt Vates altera turba cibum.

Ad fontes Elbinganos.

VOs Drusi latices, vos utraq; ripa Nogedi,
Et qvas profundit fons Pagianus aqvas.
Vos musco amniculi, vos cincti gramine rivi,
Qvà vestrum patrio conditis uber Habo:
Vos testor Nimfasq; loci frondosaq; tempe,
Et salicum inscriptos carmina nostra libros.

Currite,

Currite, & in rauco pars condite flumine vocem:
At meus in Vestro murmure versus erit.
Crescite Vos salices, surgent in robora fagi:
Carmina sub cœlum nostra cacumen aget.
Vivit adhuc Vates, cui sunt illa edita qvondam.
Plura idem incidet Regis amore sui.

Ad Reginam Ludovicam.

HOrtis nata meis, asserta regentibus Orbem,
Nuper & Ausoniæ Laurus amata diis:
Sparge sacram placido Phœbi sub sidere frundem.
Ecce Tibi vernant, qui rediêre dies.
Extremâ satis est famam meruisse sub Arcto:
Qværenda oppositi est mollior aura poli.
Euganeos ultra lustrabimus æqvora colles:
Et visam Tusco proxima regna mari.
Transgressi Tiberim mediâ sistemur in Vrbe.
Romano juncta est utraq; ripa foro.
Qvæ pòst antra patent celsæq; Neapolis arces,
Qvos colimus, Vatum noveris esse domum.
Sed Tu cognatas optabis cernere laurûs.
Transitus à Calabro litore rectus erit.
Ionios nullo franges discrimine fluctûs,
Oraq; se ostendet Graja Pelopsq; vetus.
Nos ad Mopsopias via proxima mittet Athenas,
Ad levam cultæ Phocidos arva jacent.
Hac iter ad magni præceps sacraria Phœbi,
Silvasq; & fontes ô mea Musa Tuos.
Buthroti tumulos gentisq; arbusta Molossæ
Percurram; & Pindi Chaoniumq; nemus.
Æmathii reduces speculabimur ardua Martis,
Ruraq; Sarmaticâ pervia facta manu.

Qvid referam, Regina potens, cui Mantua servit,
Sub Te quæ cunas una Maronis habes:
Cujus in Ausoniis sola culta videbimus oris,
Et quæ Vergilium rura dedêre Tuum?
Dicam ego: Te propter (*Rex audiat ipse maritus*)
Nec gravis iste fuit, nec labor ullus erit.
Omnia per populos per longos condita Soles
Composita in laudes sunt Ludovica Tuas.

De Eâdem.

VEnerat ad Regem morbi langvore jacentem,
Missa per algentes Nupta futura nives.
Qværebat gratatus amor venientis ocellis,
Qvem vultum aut mentem foverit in nivibus.
De Te uno ô mi anime, inquit, ad omnem exterrita famam,
Sollicitum gessi pectus & in nivibus.

De Seipso.

INtrâram silvas, quas Tu mihi Phœbe dedisti,
Quasq; ego non aliter glorior esse meas.
Plurimus ut vernis occulto Sole diebus,
Et gelidis horrens decidit imber aquis.
Exosus nemora & multa imperfecta relinqvens
Respexi tutos ac sine nube Lares.
Materiem dederas Aloisia: non satis uno
Carmine dicenda es pluribus aucta bonis.
Dum redeo & propero, torrens convalle sub altâ
Creverat abruptis per sua saxa viis.
Nimfarum excepi strepero de gurgite voces.
Inq; tot auditis clarior una fuit:
Per sævas hiemes, per inhospita rura, per undas
Ad Iagellonios it Ludovica deos.

At Tu, qvem Vatem nutu sibi destinat illa,
Integer ambiguo sub Iove testis eris?
Qvalia dicentur de tempestate loqventis,
Qui nec vicino permaduisset agro?
Perculit his animum, tactusq; pudore recessi:
Inq; meas valuit nulla procella fugas.
Tu qvoq; Sol nitido recreabas lumine terras:
Et quod conabar, Musa peregit opus.

De Reginâ Sereniss.

VIdistis pueri? & primùm venistis ab urbe,
Istula quam tumidis sceptriger ambit aquis?
Et tetigit Regina sólum, Dominiq; penates?
Et Rex & circùm purpura dives erat?
Cùmq; daret, quæ svadet amor, Rex oscula Nimfæ,
Qui præter censum seu dea sive deus?
Nonne puer medius, quem Cypridos esse ferebant,
Et Regum in se aciem verterat, & populi?
Vah animi segnes! Nimfa inter Adonidas ibat:
Et Venus Ambrosiis mulserat ora rosis.

De Marte & Venere.

GRadivus Veneri laudaverat ora puellæ,
Quæ jam Lechéi regnat in arce poli.
An Tu istam Venerem, dixit Cytheréa, seqveris?
Cui Mars: Gradivo nupsit & ista suo.
Hoc quod in Odrisiis ego dicor collibus esse,
De Rege & proprio Sarmata jactat agro.

De Iunone.

ELbingæ miserere Tuæ, Saturnia Iuno:
Optatos subeat sic Ludovica Lares.

Sic sternas Tu Diva thoros, ac pronuba tollas
Lumine sincero, concutiasq; faces.
Hæc ego. Cùm nôsset quàm sæpe ingrata subisset
Probra Poëtarum, dicta superba dea:
Meq; precesq; meas hoc ipso more removit.
Sunt Tibi Sarmatici, *sic ait illa*, dii.
Totum huc congestum est quod verba precantia possunt:
Teq; suis audit Franca puella focis.
Sed tamen hi qvodcumq; volent, id Jupiter æqvus
Annuet: & magni nil temerabo Jovis.

De Venere & Amore.

MItte Cupido Tuos Lechéis Regibus igneis.
Id primum, in castris hos habuisse Tuis.
Hæc Venus. Idaliæ puer improbus ista reponit:
Ad Martis, genetrix, hæreo verba Tui.
Dixerat ille, suos his gentibus esse Gradivos:
Quid si & Mulciberem Sarmatis ora ferat?
Scis ut sæpe Tuus mihi dira minetur ab antro,
Condere quo fertur tela trisulca Iovis.
At mater: depone metum, me me faber unam
Vnicus hic. Tacuit cœtera, & ingemuit.

Ad Reginam Ser.

ELbingam Regina fove. Tibi prima corollas
Mœnia nostra dabant: hasq; ferebat Amor.
Nudus & à faretrâ cœlo manifestus aperto
Ostendit nudam civibus esse fidem.
Tu Regi & Regno, gentiq; es cara Borussæ.
Hæc Tibi debuerat præmia noster amor.

De

De Amore.

NAturam in paucis, si qvid deprendimus olim,
Explet: at ingenium non imitatur amor.
Fingit inane chaos, sæpe & contraria miscet,
Deq; rudimento surgit in astra levi.
Felices si qui casu sapuistis amantes,
Et qvibus in frugem prima ruina fuit.
Risit Amor: neq; enim nostros non noverat ignes:
Et cui non puero conscius hæsit Amor?
Mitte meos, dixi, Tua per discrimina mores:
De me quæ tamdem palma relata Tibi est?

De Aqvilâ.

SArmaticis longè cœlo demissus ab oris
Ales hic errabat, qui Iovis arma gerit.
Sarmatici per rura Iovis (nam miserat illò)
Qværere Silenos Mercuriumq; jubet.
Silenus tardo per pascua vectus asello,
Tardus & ipse suâ mole relegit iter.
Ille alas virgamq; movens tectusq; galero
Omnia in Hesperiæ despicit arva solo.
Inde redux Ligerin trepidumq; videbat Aturnum,
Ac vos Seqvanicis proxima rura vadis.
Lustrabat nemora & saltûs, lustrabat & hortos:
Fulvaq; conspexit Lilia, in his Aquilam.

De Reginâ Sereniss.

NEscio qvis fuerat dolor, at sensisse dolorem
Fama est Sarmatiæ Te Ludovica decus.
Consedit fœcunda Ceres divesq; Lyæus,
Et rebus dubiis cœperat iste prior:

Si

Si quo se fato rutilantibus inferat astris.
Inveni quo stet Regia Nupta loco.
Ite Ariadnææ cum desertore coronæ:
Allibuit stellæ nobilioris honos.
Alma Ceres voluit pingi pro virginis astro:
Tædiferæ ratio visa erat æqua deæ.
Iupiter ingressus fatorum arcana resolvit:
Non ita Sarmaticos Diva relinquet agros,
Cùm cœlo accedet, ponetur in alite nostro.
Lechéas adiit hoc subeunte plagas.

De Iunone & Venere.

CYpria quòd puerum non cogere posset Amorem,
Imbellem Iuno dixerat esse deam.
Cui Cytheréa Venus: puer est meus & genus idem,
Spiculaq; imperio dirigit ille meo.
Phryx puer invisusq; Tibi Tua pocula miscet.
Et Regina deûm es: nec Catamitus abest?

De Venere.

INter lactucas tenerum flevistis Amorem:
Heic illi tumulum fecerat alma Venus.
Et potuit Paphios Amathuntia perdere flores,
Conderet ut gelido nobile funus agro?
Non stetit, ô Nimfæ: veteres repetivit amores.
Vna Venus rerum nescit inire modum.

De Eâdem.

VIdit ut extinctum sua gaudia Cypris Adonin,
Panas & agrestes jussit adesse deas.
Vos mecum in quosvis, inquit, descendite questûs.
Major enim lacrimis est dolor iste meis.

Nemo feri metuat subeatq; Cupidinis arcum.
Conculcate meos barbara corda focos.
Nimfarum medio jacuit laniata capillos,
Et mœstos cecinit fistula lenta modos.
Sic diffisa sibi natum respexit Amorem,
Et voto admotas vidit obesse faces.

De Phœbo.

ALcides epulis Iovis est admissus & autor
Carminis: hic solitus plectra movere patri.
Barbita dejecit, nectarq; removit Apollo,
Vultu, qui taciti signa doloris habet.
Scitantur nunc ille deûm, nunc ille, quid esset:
Mœroris caussam Iupiter ipse rogat.
Et mittam in plausûs, mittam hunc in jubila, dixit,
Huic psallam, luctûs qui mihi caussa fuit?
Rex Superûm instabat, nisi res odiosa subiret:
Herculis à furiis occubuisse Linum.

De Iove.

SArmatiæ terras speculatus ab arce deorum
Iupiter, ad Gothicos lumina torsit agros.
Vidit & ætherios nocuis sextilibus ignes,
Deq; suâ Martem bella ciere domo.
Vt meliore faces distinxerat ordine, dixit:
Vicino concors sit Cynosura polo.

Iupiter & Cupido, in adventu Sponsæ Regiæ.

DEsere jam rapidis flagrantem Solibus æthram:
Ecce hoc qvod Gallo fulget ab Orbe jubar.
Fugit hiems properè: qvantus sub Virgine raucâ
Æstus erit! regnis cede Cupido meis.

Dixerat

Dixerat hæc hominum rex Iupiter atq́ deorum.
Se priùs excusso reddidit ales Amor.
Nullus ab igne meo cœli geminabitur ignis:
Solvetur thalamus me fugiente Tuus.

De Venere.

CYpri quid innocuis jacularis mentibus ignes,
Qvid Tibi fecerunt optima corda mali,
Vt facibus sint ægra Tuis? mihi Cypria dixit;
Prodest ingenuis scilicet iste furor.
Crede mihi, primâ qvotquot caluêre juventâ,
Rectiùs egerunt cùm tepuêre senes.

De Marte & Cerere.

CVm thalamo Cereris poscebat fœdera Mavors,
Hæc Cereri & matri vota ferebat Opi.
Reddidit illa: mihi pacis sunt commoda curæ:
Tu cum fruge meos perdis & uris agros.
Qvid si desierit? sic Ops: Marsq́ ipse teneri
Lege novâ voluit. Risit ad ista Ceres.
Nil præstas, inquit, qvoniam natura repugnat,
Martis ero, cùm Mars desinet esse ferox.

De Annibale.

ANnibali ad superas reditum concesserat oras
Rex Erebi: Libyco redditur ille solo.
Vt Byrsam & patrios vidit non stare penates,
Romanum spretis Alpibus intrat agrum.
Miratus cineres Vrbis solasq́ ruinas,
Manibus hæc referam, sat speculatus, ait.
Elysium repetens prendit Te Scipio primùm:
Hei quot sunt nostrâ vana peracta manu.

Nusquam

Nusqvam Roma Tua est, inquit, Tyriæq; jacent res.
Securâ poteram Tuq; qviete frui.
Nam quid erat, Siculus qvòd Punica vela Pelorus,
Et Saguntinus castra teneret ager?
Cur subito dedimus tot fortia corpora letho,
Et metuit vinci proxima turba neci?
Aut cur Getulis fatum defugimus arvis.
Et mihi Bithyno contigit urna solo?
Cur non Trinacriis sunt regna diremta duorum
Fluctibus, & medio clausit uterq; salo?
Vivite concordes, nec sollicitate Tonantis
Arbitria, exosæ nostra vel ista deæ.
Sidonii periére duces, Trojanaq; proles.
Invidies oculis & malus angor abest.

De Venere & Cupidine.

DE Venere & nato, qvòd summa qvòd infera flammis
Exurant, Superos hoc statuisse ferunt:
Cederet ut cœlo Venus, ac puer iret ad umbras.
Et mundo nullus (sic Venus) ignis erit?
Solem opponebant. Non hæc instantia vincit:
Sic iterum Cypris: nec minùs ista probat.
Sæpe suo (& nostis) defectus Cynthius igni
Palluit, & nostram sensit amator opem.
An putrem in Nimfâ dicam Peneide, an illâ,
De quâ sunt Vestris thurea dona focis?
Non est pro solido Phœbi lucentior Orbis:
Plus mea, si lateat, flamma vigoris habet.
Deniq; deserto veniet quæ gloria Phœbo,
Carmina si fuerint dotis egena meæ?
Ad sua dI revocant totam subsellia litem:
DIs aliter visum sed putat esse Venus.

De Vulcano & Poëtâ.

Esse deum credunt, ac sit pro Numine fabris
Et rudis & claudus Mulciber, ipse faber.
Nuper ad Ætnæas Vates accesserat oras
Nescio qvis: Vatem dixerat esse deo.
Qvid facerent operis, Ciclopum turba rogabat:
Æternum Vates condimus, inquit, opus.
Ostenditq; libros: recitatis de Iove paucis
Ad Paphios saltûs furtaq; Martis abit.
Corripuit textum Vulcanus & ignibus ussit.
Ecce inquit chartæ jam periêre Tuæ.

De Cicnis.

Cicne quid, æthèrio commendes nostra Tonanti?
Tu gravis & lenta es, Tu fluvialis avis.
Sic ego: sed contrà grex reddidit omnis olorum:
Creditis & Vates tàm procùl esse Iovem?
Omnia qui vasti replevit Iupiter Orbis,
Et nostros patulâ colligit aure sonos.
Nimbus erat, subitòq; deum sensêre volucres:
Ripamq; & totas clangor obibat aquas.
Nec Phœbus deerat: resolutis nubibus ille
Et stagnum & juxtà luce retexit agros.

De Merlino Caledonio.

Di sine Rege deûm Merlino pandere cœlum
Aggressi patrem non latuêre Iovem.
Risit & hoc visum est vestris ait addere punctis:
Si fatuum incerti seminis astra ferant.
Herculeis ingens patuit virtutibus æther.
Deletum est magnis dotibus omne probrum.

De

De Vulcano.

ITerum illud eloqvar, atq; idem mecum asseret
Nec elegantioris aliquis formulæ,
Nec putidorum prorsùs è consortio:
Indignus est Superis Venereq; conjuge
Et loripes & invenustus Mulciber.
Rediens ab Ætnâ illotus huîc assederat,
Et nescio quæ insanus oscula presserat:
Hæsit simul fuligo fornacaria,
Lutumq; putei & qvicquid est in fecibus,
Tunicasq; & extima pepla sordidaverat.
Patienter ista ferre visa Cypris est.
Sic mecum ego simul videram. Mihi Cynthius:
A capite bardo & condito in cucurbitis
Adeone composita omnia, & decentia
Qvæsitioris diva moris exigat?

Ad Galliam.

SAlve digna parens cultorum Gallia morum:
Ingeniis salve terra beata Tuis.
Cœtera quid nostris deberent regna Poëtis,
De Musis vidit Gallia prima meis.
Nescio quis, sed erat deus, & mihi dixit in aurem,
In Senonum tumulis regnat Apollo Tuus.

Ad Satiros.

CVltores nemorum Satiri, qvibus antra sub altis
Rupibus, & fontes clausaq; vena patet:
Non sunt per densos dominorum nescia saltûs
Vlla loca? aut nulla est pars sine Rege suo?

Nulla est in totâ quæ glebula germinet orâ,
Quam dea si dederit, dixerit: ista Tua est?
Et regnat pars magna virûm per roscida tempe,
Vos qvibus invisum vulgus Hamadriades?
Si qvis erit, veniet magnæ mihi munere divæ
Angulus: illius spes mea firma manu est.
Ignorem, nec Panes ament mihi pandere, certum est:
Quâ prodesse velint, Numina nosse viam.

De Phœbo.

HActenus assiduus cœlum cum Sole tuebar:
Meq; novum Veris misit in arva jubar.
Tum tenebris horrere æther, nimbosq; minari,
Et gravis in siccos irruere imber agros.
Quid facerem, unius commotus crimine Phœbi?
Reddidit ex alto sed deus ista mihi:
Tune potes Clariæ gurges non ultimus undæ
Spernere qvas idem dat Tibi præses aquas?

De Iove & Momo.

DIxerat hæc Momus: celebrat convivia cum dIs
Iupiter, & nullum Rex habet ipse coqvum.
Qvære Tibi lixas, iratus Iupiter inquit,
Qvære Tibi, qui non vesceris ambrosiâ.
Non tacuit Momus semper suprema loqvutus:
Quid si ita dixisses Tu pater ille deûm?
Carpe alios extra scortilla virumq; sororis,
Tu procùl à divûm nectare, divûm odio.

De Iove & Mercurio.

REx Superûm Atlantis redeuntem à Dite nepotem
(Solus enim è Superis hic loca Ditis adit)

Multa

Multa super Priamo super Hectore multa rogabat:
Tum qvas spiraret natus Achille minas?
Qvid pater Æacides? procul armis degitur, inquit;
Odêre in vivis: cùm moriuntur, amant.

De Harpocrate.

NVmqvid in Harpócratem quod dicere posset, haberet
Momus, ab ætherio qvæstio mota Iove est.
Momus ad hæc: tuto vocem si pectore condit
Harpocrates, qvare labra premit digito?

De Jove.

JVpiter Æthiopas cum conjuge sæpe revisit,
Et fruitur dapibus proluiturq; mero.
Viderat Arctophylax, geminasq; vocârat in Arctos:
Noluit ad gelidum Iupiter ire polum.
Conqvesta est stellis Cynosura rigentis Olympi,
Invenitq; alium terra Boréa Iovem.

Ad Reginam Sereniss.

SOlvisti nostras felix Aloisia curas,
Vidimus in manibus cerea signa Tuis.
Qvid scribit Tuus ille Tibi mandatq; Cupido?
Novimus: est salvus, Te properare jubet.
Arguit hoc vultus, neglectaq; prandia. Plus est:
Impresti caris oscula literulis.

Ad Eamdem.

QVæ legis Adriacum subeuntia flumina litus,
Eridaniq; vadum, populeumq; nemus,
Diva potens: nostris nimiùm ne crede Poëtis.
Non illâ Clymenes est puer haustus aquâ.

Non

Non illâ in ripâ miseræ flevêre sorores.
Adspicit hunc propior Drusidos ora locum.
Heic Rhodani fontes, heic sunt Phaëthontides almi,
Fulminaq; & casûs heic Phaëthontis erant.
Nôris & hoc: Pontus, qui nobile gignit electrum,
Quiq; dat hoc Italis, sub ditione Tuâ est.

De Jove & Marcello.

OBrutus innumeris divûm pater undiq; votis
Prolixas hominum jussit abesse preces.
Oebaliæ gens una placet: brevitate litabant.
Et deus his aderat, qui tenuêre modum.
Nescio quis Marcellus erat, qui more Laconum
Visus erat paucis multa obiisse notis.
Venit & ille Iovi. Paucis Tibi Iupiter edam,
Inquit, & ut faciam plurima caussa subest.
Iamq; dabat caussas, & erat plus mille daturus.
Protenus offendit garrula lingva deum.
Quod Marcelle sapis, stultorum effunde coronis.
Ad caussas Superi nil retulêre Tuas.

De Junone & Chloë.

DOcta Chloë tunicis aliquid committere justis,
Et nullâ vestem non variare die,
Ciclade nunc aliâ, quàm quâ par cultior esset
Fœmina, nunc palmâ floridiore tegi.
Re malè consumtâ divorum fugit ad aras:
Et Iunonis opem sive rogabat opes.
Diva fave, dixit, pars sum qvotacumq; Tuarum:
Deq; meo in populis corpore nomen habes.
At Iuno: cùm qvæ dederint ea prodita nolint,
Ne Tibi munificos perdita finge deos.

Ad Reginam Serenifs.

O qvæ præpetibus potuisti asſveſcere magni
Regis, & aſſiduâ fulta Tonantis ave es:
Si Tecum accubuit Superûm ſator idem hominum rex,
Sediſti & Phœbi non procul oſcinibus.
Docta tenùs tolerare aciem Iovis arma gerentum,
Integriùs placidos, Diva, tuere cicnos.
Orta quidem cœlo, luci qvoq; nata ferendæ,
Ad Tua manſveto Lilia more redi.
Vidi ego paſcentes extra ſua flumina olores
Protectos iſto flore habuiſſe cibum.
Seminis & fontis modici diſpendia fient
In cantatricem, quæ Tibi luſit, avem.

De Venere.

Pictor in urbe meâ est: qui quos ſibi ſumſerat artûs
Pallas & effingi juſſerat ora, dabat.
Iuno qvoq; advenit: Iunonem noſter Apelles
Pinxit, & exhibitum Iuno probavit opus.
Et Venus acceſſit: pingi ſe poſſe negabat.
Qvis dubitet? Viſa est pulchrior eſſe ſibi.
Vatem adit, & fingi ſibi formam à Vate rogabat.
Vtere, ſic Cypris dixerat, arte Tuâ.
Cui Vates: cedit Tibi Iuno & candida Pallas;
Par Tibi diva nihil. Tum Citheréa: bene eſt.

De Æneâ & Didone.

INvitus Regina Tuo de litore ceſſi.
Hoſpitis hæc, Dido, verba fuêre Tui.
Nempe per Orcinas patrem cùm qværeret umbras.
Credimus? Hanc Phrygibus fecerit ille fidem.

Si

Si fuit in fatis, non venit Atlantide natus:
Et nemo Stygios jussit adire lacûs.

De Mercurio.

NEscio quò missus steterat Cyllenius ales
Me super, & Driades viderat ille duas.
Demisit volucres alas virgamq; potentem:
Verba dabat Nimfis plurima, pauca mihi.
Scilicet hoc egit, Nimfas ut falleret, & me.
Vado: cum solis, dixi ego, solus agas.
Sed tamen ede mihi: si qvis non aliger optet
Ardua per scalas tecta subire Iovis,
De Lechicâ an Libycâ breviores fecerit orâ?
Vtrâvis ierit, reddidit ille, pares.
Par via, par labor est hinc illinc summa petentum
Scilicet: at scelerum sublevat ala fabros.

De Circe & Vlysse.

MVtavit socios & non mutavit Vlyssem
Improba Phasiacis nata puella jugis.
Nimirum hæc stabunt encomia teste Calypso,
Turba Poëtarum fingere qvæ potuit.
Prome Venus caussam: cùm plena suilia vidit,
Dixit amans Circe: sit supèr iste mihi.

De Liliis.

I puer, & cianos vicino collige ruri,
Serta para: nubit villica nostra viro.
Iamq; puer rediens, succrescunt Lilia totis,
Inqvit, agris. Cianos non amat ulla Ceres.
Addidit: illorum lectos vidisse maniplos,
Qvos sibi condiderit Regis amica manus.

De

De Ajace Telamonio.

IPse suis furiis cœlum cum luce perosus
Concidit Alcides, qui Iove natus erat.
Et fugiam Telamone satus lethumq; meæq;
Arma manûs? certè est dignius ense mori.
Caussa quoq; est major, dolor hic, cur fata reqviram.
Ille dolor fuerat corporis, hic animi est.

Ad Reginam Ser:

O amor atq; decus Lechici memorabile Regni,
O prognata diis & paritura deos:
Sint aliquo mea texta loco, faveasq; Poëtæ.
Tres adeò Vates hæc fovet ipsa manus.
Excedam citiùs, Tu seriùs astra revises.
Me penes est generi jam sua Musa Tuo.

De Astronomo.

IRe Aqvilas cœlo, deberi Lilia terris,
Esseq; in ætheriis germina nulla plagis
Dixerat Astronomus. Monstrabat signa Puellæ
Et pariter spicam missus in ista puer.
Occidit hoc cœli leges & jura professus.
Actum est, Doctores si jugulant pueri.

De Venere & Nimfis.

NImfarum sine frunde domos & ruscula sola
Transierat Domini vitaq; luxq; mei.
Venisti miseranda Venus, venêre Napéæ:
Occursura aderas Tu quoq; Flora deæ.
Qvid faceret vacuum, nec habens sua munera vulgus?
Hauserat agrestes nimbus & horror opes.

Esseda sunt omnes atq; agmina tamta sequutæ,
Qvamtis succinctam fas erat esse Deam.
Cùm Tu Sarmatico stabis sublimior Orbe,
Ornabitq; Tuas sacra Corolla comas,
Larga dabit tellus Tibi qvos cumulemus honores:
Servitura Tibi est ambitiosa manus.
Sic Venus & Nimfæ, lacrimæq; per ora fluebant.
Qvippe dolet rectis, hæc modò posse loqui.

De apiculâ & Cupidine.

ILla per Hyblæos quæ sudat apicula montes,
Grataq; sincero sub Iove mella parat,
Ætherio Superûm dignata est tramite votis.
Et qvare cœlum non adeatis apes?
Aliger obstabat puer & sine veste Cupido.
Sed dabat, ut vidit robur abesse, preces.

De Mantuâ.

MAntua, quæ docti celebratur rure Maronis,
Et molli excepit pignora tamta sinu,
Dives aquis, nemorum jam se Tibi prætulit umbris,
Silvarum ô Helicon, Tu quoq; Pinde decus.
Heic Driadum chorus est, heic lætæ Najades undis,
Qvas fons Permessus Castaliusq; colant.
Iupiter ad Vates cœlo cùm respicit alto,
Mantua cum caro prima Marone subit.
Condidit æternum Tuus, inquit, carmen alumnus.
Ipsa vige: hoc partu Te meruisse puta.

De Hercule & Apolline.

JAm deus Alcides & pars non parva deorum
Desvetam pridem cœpit obire liram.

Errantem,

Errantem, potes hoc, dextram rege Phœbe, rogabat.
Hic stomachi plenus qvòdq; timeret, ait:
Perge rudimentis: quæ cùm bene pergere posses.
Vix tenuit lacrimas, addidit: ille dedit.

De Venere.

Miserat ad Lechicum formosa Amathuntia Regem.
Nimfa viam ingressa est: verba loqventis erant:
Rura Tua & colles Triviæ vagu turba pererrat:
Qvàq; patent, campos spicea mater habet.
Pro Thracum tumulis habitat meus æqvora Mavors.
In partem Regni magna Cytheris eat.
Verba deæ fuerant perferre hæc ipsa jubentis:
Deq; suo addiderat proxima Nimfa deæ;
Iagelloniade, si nos acceperis, inquit,
Accipiet meritum Musa Latina decus.
Dixerat hæc ideo, qvoniam natalibus oris
Spreta coli Lechico cœperat illa solo.

De Charonte & Ceneo.

Portitor ille Charon, animas qui trajicit Orco,
Viderat ad Stygios venientem Cenea fontes.
Ceneu inquit, qvalem Te post Tua funera credam?
Cenis utrùm, æqvoreo qvondam dilecta tiranno:
Et rediit, qui sexus erat, cùm nata fuisses?
An vir, & à fato robustum Cenea præstas?
Reddidit huîc Ceneus; viles descendimus umbræ.
Qvodq; vides, nullo premimus Tibi pondere cimbam
Mille animæ. Vt nôris, non sum nec fœmina nec vir.
Constitit ex illo: non ipsum nosse Charontem,
Transmissi fluvium quo sint discrimine manes.

Ad Reginam Serenifs.

UT procùl à nobis ne noſtrî Aloiſia curam
Mitte: vident Superi cuncta ſub Orbe ſuo.
Tu Dea, Tu patriis mentem virtutibus exple.
Tu populi ex alto ſuſcipe vota mei.
Si mihi quæ Patria eſt, illam reſpexeris urbem,
Credam ego Te Vati multa dediſſe Tuo.

In ſpeculum Reginæ.

TV quæ ſubjecti colluſtras omnia Regni,
Et placitum celsâ mittis ab arce jubar:
Huc aciem deflecte illam, quâ noſtra ſerenas
Tempora, & in tenui Te ſpeculare vitro.

In idem Electro incluſum.

SEu lévi in ſpeculo ſeu ſtante reluceat undâ,
Candida plus facies inter electra nitet.

De Reginâ Serenifs.

DIgna deûm menſis, ſed adhuc obnoxia terris,
Et notâ Superis ire redire viâ:
Nitere dote Tuâ. Noſtri Tibi turba Cayſtri
Servit: & à famulâ pars opis ulla manu eſt.
Non aliter tuto pones veſtigia cœlo,
Quàm ſi Phœbéæ præmodulenter aves.
Hæc ego pauca rogo. Si nos Aloiſia vultu
Hoc animas, ſoboles quo ſolet iſta deûm;
Si videor, dignusq; Tuo ſum nomine Vates,
Sit ſoſpes Dominæ munere Vatis olor.

Ad Venerem.

Parce

PArce Venus Cytheréa, nec hinc Te proripe: da Te
Diva mihi: periit Te sine noster honos.
Ah tamti non est, non sunt mea crimina tamti!
Æqvavi Paphiæ Lilia nostra nivi.
Ingenium moresq; Tuos sum Diva seqvutus.
Lilia Te vidi composuisse rosis.

De Priamo & Pyrrho.

ÆAce qvam moveo, vincam Te judice litem.
Æaciden tangit mota querella Tuum.
Sacra Neoptolemus fœdavit sangvine nostro.
Ista tamen mitto, nam graviora qverar.
Hoc satis immane est: vetuit, cùm condere vellem
Qvas faciunt tabulas fata suprema ratas.
Hæc Priamus. Qvibus, aut bona qvæ leganda putârit,
Commotâ Pyrrhus non sine bile rogat.
Primum Heleno deinde Ænéæ Tua regna dedissem,
Inquit. At in Grajûm quid Tibi juris agro est?
Substitit Æacides, & qvàmvis vana moveret
Laomedontiades, sic gemibundus ait:
Absq; Tuis tabulis totâ dominatur in orâ,
Qvæ sata Trojanis gens memoratur avis.

De cive Romano.

NAatorum rogo jura trium: da maxime Cæsar.
Orabat supplex civis in urbe Remi.
Vota viri Cæsar rejecit & ista petentem.
Ad Capitolinum vertitur ergò Iovem.
Iunonis qvoq; templa subit: Tibi Iuno litabat,
Tuq; dabas justum pondus habere preces.
Caja bona enixa est nono tres mense puellos.
Non sunt Augustæ munera tamta domûs.

In

In Corinnum.

Girgillum uxoris sollers versare Corinnus,
Hic qui sæpe facit non imitanda viris,
Cùm mea sub fictis habeant Epigrammata verum,
Et rerum lateat cortice tecta fides,
A pueris hæc illa meis, nunc nomina nunc res
Exigit. In versu se putat esse meo.
Solve Corinne metum. Seu tangam probra virorum,
Sive quid in sexu debiliore notem;
Te ratio negat esse virum, natura puellam.
Neuter es: in versu non potes esse meo.

In tumulum Barth. Capuani, Mant.

Condite nos humili Capuanus marmore dixit.
Scilicet & tumulo condita Paulla viri est.
Vel breviore tegi potuisset uterq; sepulcro.
Senserunt conjux & Capuanus idem.

In Phœbum.

Phœbe quid immeritæ gravis es persæpe sorori?
Subjacet opprobriis sæpe Diana Tuis.
Sæpe negas lucem cùm plenior illa refulsit:
Et latet hoc terris dulce nitensq; jubar.
Cœtera: quid valuit Superûm fuga facta Canopo
In solam? Fugit Te comitante soror.
Tu tamen, in cervos sociis an felibus iret,
Quærebas Sminthe u. Salsior illa fuit.
Ad feles abii, frater, venatibus aptos.
Carmina sub cervo non satis apta dabas.

De Mincio.

PHocidos Aoniæ jactabant flumina Phœbum;
Et veteres Delphos Castaliumq; nemus.
Mincius Andino cupiebat Vate videri:
Quo Phœbi gaudet præside tota domus.
Proxima Benacum tangebat gloria patrem,
Sæpe Maro teneras huc puer egit oves.
Iverat in litem Grajis contrarius Auson.
Caussa quoq; ad magnum venerat ista Iovem.
Re dubiâ dixit: viguissent Phocidos undæ,
Sub Scythicâ cultum deposuêre manu.
Sunt Tua pro Delphis Federice palatia Minci
Propter aquas, Echûs omnia vincit opus.
Addidit hæc etiam: Celebrentur Apolline Graji,
Cultior Ausonio Roma Marone fuit.
Res habet invidiam: ne nato arbitria prosint
Aut noceant, pro me judicet ipsa Themis.

Ad Reginam Sereniss.

ACcipe qvas optem silvas Aloisia: dicam.
Vestit in his cultam nobile gramen humum.
Arva leves obeunt at non sine munere rivi,
Inq; suos fructûs pinus & alnus eunt.
Plurima luxuriant pictis arbusta racemis,
Purpureumq; trahunt lucida poma merum.
Non genus invisum, sed quæ modulentur ad aures,
Per nemorum lætæ summa feruntur aves.
Inter Acidalios succrescunt Lilia flores.
Et molles umbras mirtus opaca facit.
Ipse ego fallaces mittam per stagna sagenas:
Aut levis incautam sternet arundo gruem.
Murmura apes facient habitura papaveris usum;
Et nova melligeros adstruet Hybla favos.

Iam

Iam ſcio quid noſtris poſsis opponere votis.
Talia, ſic dices, vix meus hortus habet.
Da Regina locum. Qvicquid ſuperaddat honorem,
Hoc dare non dubiæ eſt me penes artis opus.

Ad Patriam.

MActe animo mea Druſis: erat Tibi Iupiter æqvus.
Intraret portas cùm Dea celſa Tuas.
Iuſsit abeſſe nives, deterſit nubila cœlo,
Et repulit pleno ſidere triſte gelu.
Ipſa Tibi dixit Charites imitata ſerenas:
Hunc vultum in votis ſemper habebo Tuis.

De Poloniæ & Galliæ Veneribus.

POſcite ab Oenones diſcrimina veſtra marito,
Vos divæ at ſtudiis ambitioſa cohors.
Idæis ſtet fama jugis, ſed qvalis ab ævo.
Hanc Senonum colles, hanc habet ora Lechi.
Vidiſses pompam, quâ ſe Varſavia dives
Iactat: in hac Venerum maxima turba fuit.
Et qvàmvis Veneres, qvàmvis tot Pallades irent;
Qvæ Regi juncta eſt, hæc erat ipſa Venus.

De Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Arauſionis Epiſcopo.

AD manes Ditisq́; domum, pater alme deorum,
Hic Tua juſſa ferat, qvem Tibi Maja dedit.
Ille volet, giros imitentur dicta volantis,
Et faciat nullam lingva proterva fidem.
Spernimus has nugas: & habent mea ſecula morem:
Hàc lingvam, hàc ſolidæ ponere mentis opes;
Tum gemino munire bono laudabile pectus.
Mercurio opponunt ſe bona corda Tuo.

Ad

Ad Lechicos Proceres qvem mitteret utraq; doctumq;,
Hunc mihi monstravit Gallia culta virum.
O felix cœlo, felix ô Arausia tellus!
Istâ dote Tuus Numina Præsul adit.

De carminibus suis.

Nil metuo Vobis, mea carmina. Vos gravis imber
Perdat, & iratum dicar habere Iovem.
Vos maris vnda vehat, Vos improbus hauriat ignis:
Sæviat, in caussas est furor iste meas.
Aura Iovi sistet nostros mansveta libellos,
Concioq; hos Superûm cum patre tota leget.
Ad vitreas rauco descendant flumine Nimfas:
Nos amat, & vidit munera nostra Thetis.
Deniq; & ad Stygium veniant mea scripta tirannum:
In Stygio, ut perhibent, est Iove laudis amor.
Vidimus assertos populorum voce Poëtas.
Osores illi non habuêre deos.

Ad Reginam Serenifs.

Tene puer, Regina potens, Casimirus adibat,
Ille Tui genus & proxima cura viri?
Et qvæ cæsaries per lactea colla fluebat,
Ipsa nitens flavi qvalis arena Tagi,
Hæc Te detinuit? potuisti fundere limfas
His manibus, qvales laverat antè Venus?
Ah nimiùm ne crede oculis, ne crede puello.
Hinc procùl à Paphiis venerat ille jugis.
Nimfarum materna cohors ultroq; Napéæ
Huîc aderant togulas composítura manus.
Qvem puerum amplexa es? cui fixeris oscula, Tecum
Exige. Ne dubites, ipse Cupido fuit.

Nota Tibi totis sparsisti incendia fibris:
Nec, qui alium potuit fingere, fictus erat.
Iupiter invenit, promovit Cypria technam,
Vt Tecum ad Regem prævius iret Amor.

De succino albo.

MIttite Vos Vates Phœbéæ succina lucis.
Nugarum misero de Phaëthonte sat est.
Vnde novo candor, sic Baltica Doris, Electro?
Vnde decus glebæ, qvam mea Prussis habet?
Cum Phœbo tacuére suo gens garrula Vatum:
Nil opis in lauru præsidiiq; fuit.
Ipsa mihi dixit, cùm litora nuper obirem:
Non adeò casti Cynthia moris amat.
Qvas malè tractaret, sumebat amator habenas.
His Venus excussum candida mersit aqvis.
Nunc guttam Electri, quam populus alba profudit,
Et caussam interitûs Endymionis habe.

De Regina Ser.

IVdicio Paridis notas nemorumq; potentem,
Et qvas non habuit Regia mensa deas?
Omnis arundineo constabat machina succo,
Qvalis ab Eoo dulcior Orbe venit.
Atq; erat, hoc numero, qui diceret, una dearum;
Et perrecturus, maxima, dixit, abest.
Omnibus his præstas Lechici celsissima Regni!
Dicentem admonuit, qui propè sedit Eqves.
Talia conveniunt Regali Numina mensæ:
Ad thalamos Domini pertinet ista mei.

De Gallo.

Gallicus

GAllicus in cisiis calo superaverat Arctos.
Irrisa est populo res ut inepta meo.
Gallus ad hæc, non sum tam vasto corpore, dixit,
Vt credam geminis plus opus esse rotis.
Rupibus & saxis sua sunt sarraca vehendis.
Sit satis ex usu vivere posse rei.
Assensêre viri, qvos sæpe domestica Iuno
Immodicos operum cogit adire fabros.

De puellâ elegantioris formæ.

UNa erat è Nimfis, qvas secum Aloisia longis
Duxerat à patrio limite missa viis.
Hæc poterat reliquas inter pulcherrima dici:
Si non, quam veneror, pulchrior illa foret.
Qværebat, Paridem si terra Lechitis haberet.
Qvid qværis virgo? Non Paris unus erit.
Iunonem præsta, faciemq; colentis olivas:
Vt tentes animos, non potes esse Venus.

De Nuptiis Regiis.

IDibus Æmathii lustrabam rura Gradivi,
Quà virides alni fonsq; perennis erant.
Ad sua Vere novo rediens primordia mundus
Ridenti volucrum solverat ora Iovi.
Condebat se qvinta dies, cùm doctus Iopas
Augustâ dulces fecerat urbe modos.
Tunc thalamos meditatus Amor, sceptriq; timendæ
Robore venerunt ad sua sacra manûs.
Talibus intentum deus interpellat ab alto:
Qvod Tu debueras pangere carmen, ubi est?
Mitte Tuas curas: pro Te cecinêre volucres,
Cætera vidisses, plena decoris erant.

Ad Serenissimos conjuges.

SI *quid in Illyricâ Cadméi seminis orâ,*
Transeat ad Gallos. Gallia lacte madet.
Inde fuit nomem, sive hoc Galatéa dedisti.
Serpula gens Cadmi munera lactis amat.
Ista nihil movêre meos figmenta Lechitas,
Sceptrigero Venerem jungere Lacteolam.
Non est heic ratio fictos induta colores:
Heic Lac *heic* Aqvila *est: albus utriq; color.*
Præpetibus nix illa fuit, cùm Sarmata vidit,
Notaq; priscorum misit in arma ducum.
Si quid & à Lacte est: hoc Gallia pingvis abundet:
Non habet armentis Gracchica terra parem.
Omnia sint nivei Vos exornantia moris,
Semper &, ô Reges, vestra sit alba dies.

Ad Reginam Ser.

H*Uc redeo. A justis Tua sunt connubia fatis.*
Isti per glacies, ac via longa fuit.
Pertulit in Scythiâ nil non immane maritus.
Æquavit caro Te labor iste viro.
Cœtera fœminei vix sunt præconia sexûs:
Non hoc Alcidi Deianira fuit.
Deme etiam Herculeæ sua monstra & præmia clavæ:
Pertinet ad Grajam Styx superata fidem.
Alcides, Ludovica, Tuis complexibus hæret
Verior: ad Scythicos protulit arma polos.

De Coronatione Serenifs. Reginæ.

I*Bit ab innumeris Procerum stipata catervis,*
Et facilem cunctis se Ludovica dabit.

Quoq;

Quodq; magis summo decori succedet ad aras,
Se matrem populis noverit esse datam.
Iam toti pectus mansvetum innotuit Orbi.
Mutari ritu talia corda negant.

Ad Reginam Ser.

TE cultura manus descendet rure Canopi,
Eoasq; Tibi Diva recludet opes.
Molliaq; ex Arabum venient Opobalsama terris:
Cuncta, quibus Regum sceptra coluntur, erunt.
Vtere Diva potens: hæc Te virtutibus altis,
Vt gratam Superis, promeruisse vides.

Ad Eamdem.

PVrpura non alia est cunctis augustior oris,
Quàm quâ Rex Lechicâ fulget in arce meus.
Hoc Dea dico Tibi tamti sors proxima Regni:
Concilium referunt atria tota Iovis.
Celsior ipse sedet: decus altum, & purpura circùm,
Voxq; potens plures monstrat adesse deos.

In Carbionem.

INter Apollineos parasitus Carbio lixas
Maximus optabat castra subire dei.
Aßiduas dabat ille preces: Tu Phœbe negasti.
Dumq; preces iterat, verba negantis erant:
Quid sibi de levibus mando promittat ofellis?
Non venit ad sansas nausea tamta meas.

Ad Drusum lacum.

DRuse ferax pecudum per stagna profunda meantum,
Garrula cui medios cingit arundo sinus:

Te

Te totum obducat, velut hoc oracula firmant,
Iuncus: & exhausto sibilet illa lacu.
Si quid ego in ripâ medioq; in gurgite iusi:
Hoc illi æterno murmure carmen erit.

De Crispo.

CRispus habet centum fodientes arva colonos.
Omnes languor habet: nil peperêre sibi.
Serviles operas mutare recentibus optat:
Et liquet hæc ipsi vota tulisse Iovi.
Iupiter hûic dixit: sunt tot mihi corpora pluris.
Crispe, fac ægrotam vivere posse manum.

De conchâ & Atlante.

FEcerat Atlanti convicia litoris hospes,
Quæ caram portat tergore concha domum:
Esse illum cœli gerulum, se propria ferre.
Obtriturus eam pondus agebat Atlas.
Iupiter obstabat: nam quid moliris? in unâ
Non possunt conchâ tot residere dii.

Ad Meroën puellam.

QVicquid habes formæ, paucis abolebitur annis.
Mancupio non est, quod Cytheréa dedit.
Nonne vides Meroë? Denâ Te messe reliquit
Cælia. Quid dicam? Nunc ea mœret anus.
Est spontis Cytheréa suæ. Cùm mollior ætas
Succedit castris, grex veteranus abit.

De Amphione.

AMphion patrias Dircæus condidit arces.
Si qua fides, Liricæ condidit artis ope.

Questa

Queſta Iovi ſunt hoc collegia tota fabrorum,
Cauſidico roſeæ Cypridos uſa viro.
Iuſta petebantur Superos habitura faventes.
Addidit hoc punctis mota furore Venus:
Mentibus ætheriis condant ſua carmina Vates:
Ædificet terris ſordida turba fabrûm.

Liberalitas Megeriſiana.

SOlve Poëta: fores Libraria natio pultat.
Exſcripſit nitidis carmina miſſa tipis.
Stridula ſudârunt cudendis præla libellis.
Sudârunt operæ: quod meruére, rogant.
Da numos, dixi, numeros qui Phœbe dediſti.
Quid jacet in foribus turba moleſta meis?
Vera loquor: reliqui mea condite dicta Poëtæ.
Nec mea ſunt, Clarii vox erat iſta dei:
Silva mihi vetus eſt: ſummas, ait, excute frundes.
Reſpice, in his fixi Conſulis arma novi.
Reſpexi, inq; iſtos dixit mihi miſſus honores:
Ad mea pulſantum rejice tecta manûs.

De Meroë puellâ.

SVbter fraxineas Meroë conceſſerat umbras,
Hei nimiùm formæ fiſa puella ſuæ.
Sola ſibi placidos ingrata per ocia ſomnos
Accipit: & jacuit ſub Iove noſtra Venus.
Quid Tibi fraxinei præſtabant tegmina rami?
Sic ego, cùm paribus reddita, deinde mihi eſt.
Hac ait angvigenûm vitaſſe ſub arbore morsûs.
Serpentem, oppoſui, non fugit alma Venus.
At Meröe: ſi læſa manu Diomedis, ab angui
Non metuat? Cereris filia ſic periit.

Ad

Ad Lunam.

Cynthia dum saltûs atrâ sub nocte pererro,
Lubricaq; incerto tramite tota via est:
Dirige iter nostrum, radiisq; micantibus orbem
Profer, & humentes fulgida pone Notos.
Hoc quoq; Diva Tibi veniens ad Regna mariti
Dixerat: hoc Vati da quoq; Luna deæ.
Protenus in bijugis processit Cynthia mulis,
Ac nemorum callis pervius omnis erat.
Et Regum & cœli consensum discite, Vates.
A vestrâ veniunt proxima vota domo.

Ad Reginam Sereniss.

Nitimur ingenio: quod nulla coëgit egestas
Indecores nostris rebus inire modos.
Debemur Patriæ. Satis est hæc gloria nobis,
Et Patriæ & famæ consuluisse suæ.
Nam neq; vos extra tenues mihi victus olivas.
Nec multum virtus integra poscit opis.
Sæpe illi edixi, quæ me sibi junxit amantem:
Musa cave sordes, & cane digna legi.
Cùm res composita est, & transit ad otia vesper,
Alea securo tunc sonat ista mihi.
Aut ego possideam, quas tollat inertia dotes?
Dotibus ad Reges his mihi facta via est.
Sed moriar, Regina potens: & amica superstes
Gens erit, ad caussas non abitura meas.
Præmia si dederis, seu vectigalia fundi
Vllius; amplectar dona benigna pater.
Succedet soboles, nostrasq; sequuta Camænas
Munificum docto carmine dicet opus.